superficialibus. N. 12. *de mixto lapidis Philosophorum omnium mixtorum perfectissimo.*

TEXTUS.

N. 1. SI Peripateticos de mixtione legas, multos quidem invenies terminos, sed omnes ita constitutos, ut in praxi prorsus inanes sint; nam tota illa Philosophia eo collimat, ut rebus tantum nomina imponat, & deinde circa ea rixetur & altercetur: hinc evenit, quod ex ejusmodi studio nulla praxis elici queat. Cum vero res inventæ, & in praxin reductæ sunt, statim innumerum terminorum cumulum addunt; ita multos de mixtione terminos habent, quos pueris obtrudunt, qui talia discentes nomina, quid significent, nesciunt: sic sub speciosis titulis de *actione, passione & mixtione Elementorum,* de *generatione & interitu* corporum naturalium, de *temperamento & coctione,* aliisque, multa inania tractant, & varios terminos, ut *contactum virtualem* magnitudinum, Physicum, *actionem primam, secundam, qualitates primas, secundas, activitatem, similia, dissimilia, actionem inchoatam, imperfectam, perfectam, elementorum mansionem* in misto, *formas refractas* elementorum, *intensionem, remissionem, &c.* & denique infinita alia, ex quibus omnibus ne rationem quidem afferre possent, cur unicum *sal tartari in aëre & igne leviter fluat, & si cum spiritu salis præcipitetur, nec in aëre nec in igne amplius id faciat.* Dicent quidem, qualitates esse mutatas, quod quilibet scit; sed cur mutentur, & quomodo, hic altum silentium, neque evidentes rationes assignare possent, si cum suo Aristotele in æternum sudarent. Propius ergo & evidentius mixtionis doctrina investiganda, si ad praxin inservire debeat, nam natura in praxi regimen gerit; quodque subtilissimum ingenium, toto anno specularetur, & subtilissimis terminis exponeret, si naturæ contrarietur, cum ad praxin venitur, nihil est, & nugæ apparent, & tota N. 2. speculatio in momento cadit: Illi ergo termini veri, illa speculatio bona, cui praxis & natura consentiunt. Ex hoc ergo fundamento quædam eruemus, quæ ad nostrum propositum facient; nam totam doctrinam de mixtione exponere non est instituti nostri, cum tantummodo de subterraneorum mixtione differere instituerimus. Abstrahimus ergo *primo,* a mixtione *quantitatis;* cum tres vel quatuor libræ commiscentur: quam mixtionem quidam mixtionem continui vocant: cum ea mixtio, de qua nos hic loci N. 3. acturi sumus, *Physica* mixtio sit. Quæ duplex est, *superficialis* nempe & *centralis. Superficialem* voco, cum res miscentur, sed ita, ut rursus *separari* queant; id est, cum spiritus vini absynthio perfusus, cum ejusdem partibus miscetur: nam cum abstrahitur, extractum absynthii in sua crasi manet, & spiritus vini in sua. *Centralem* vero voco, cum res miscentur, ut *cohæreant,* & integra corpora constituant. Ut cum *aqua pluN. 4. vialis* cum *semine* milii miscetur, & in mixtum milii alteratur. Superficialis mixtionis basis est, *rarefactio;* nam raris & subtilibus, densa & grossa penetrantur, resolvuntur ac miscentur, ita ut in minimas particulas dissipentur, quæ raro inhærent: unde variæ solutiones & præcipitationes pro solventis & soluti tenuitate & densitate. Sic *argentum*

in